

ANNO DOMINI MCL

# BERNARDI

## CARTHUSIÆ PORTARUM PRIORIS PRIMI

## EPISTOLÆ TRES

(Vide Patrologiæ tom. CLIII, col. 885)

ANNO DOMINI MCL

# S. RAINARDUS

## ABBAS CISTERCIENSIS V

## NOTITIA IN RAINARDUM

(*Gall. Christ.* t. IV, c. 985)

Rainardus, filius Milonis comitis Barri super Sequanam, ex monacho Clarævallensi assumptus in abbatem Cisterciæ 1133 perficitur a Waltero Cabilonensi pontifice; quo anno memoratur in charta ejusdem Walterii pro monasterio S. Petri (1). Statuta saluberrima condidit anno seq. seu potius statuta capitulo generalium collegit. Anno 1128 S. Petro Stamedii primo abbatii in Sabaudia præcepit ut oblatum Tarentasiensem archiepiscopatum acciperet. Petrum Abelardum cum S. Bernardo Clarævallensi abbate sub finem mensis Septembris anni 1140 reconciliavit. Eodem circiter anno scripsit ad Innocentium II papam pro Humberto Eduensi episcopo contra monachos Vezeliacenses; cumque hoc ipso anno agerentur comitia generalia Cisterciæ, pactum fecit cum Hugone et monachis Præmonstratensis ordinis, quo neutri monachos alterius ordinis in suum recipere liceret, neque abbacias ædificare, nisi eo intervallo, quo inter se distant Præmonstratense et Suessione S. Medardi monasteria, ac insuper cavitur ne mutuæ querelæ aliis quam monachis utriusque ordinis finiendæ committantur, ex tabul. Bolbonæ. Scribit ad eum Petrus Venerabilis, lib. v, epist. 25, de quo etiam Exordium Cisterciense, lib. 1, cap. 28, et Vincentius in Speculo hist. lib. xxvii, cap. 27. Idem ann. 1148 visitatur ab Eugenio III summo pontifice in capitulo generali, et hic cœmeterium abbatiæ consecravit. Adfuit autem Rainardus consecrationi ecclesiæ S. Lazarus Eduensis, factæ an. 1146 ab Humberto episcopo diœcesano; tandemque plurimis cœnobiosis maximo religionis bono conditis, obdormivit in Christo 1151, ut est in Supplemento Sigiberti, xvii Kal. Januarii, in martyrologio Cisterciensi; cuius in morte doluit S. Bernardus: *Dominus, inquit, epist. 270, Cisterciensiu deseruit nos, magna plaga in ordine, mihi vero duplex incumbit mœroris ratio, qui in uno homine et patrem amisi et filium. Et nunc habemus pro eo dominum Gozuinum Bonæ-Wallis abbatem.* De Rainardo etiam in loquitur scriptor æqualis vitæ B. Stephani Obazine abbatis, lib. ii, cap. 11. *Eo tempore Cisterciensibus præterat abbas nomine Rainardus, vir... nullis facile comparandus: siquidem elegantia personæ, generis aabilitate, humilitatis decore, religionis fervore, cunctis quibus præterat abbatis præminebat, et sancte religionis vigore flagrabat, ut ignis superaret ardorem, et exterioris tanta dulcedine præminebat, ut melius uiceret suavitatem.* Vide tom. II. Miscellæn. Baluzii, pag. 117 et seq. ac Menologium Cisterciense ad die 16 Maii.

(1) Prob. Hist. Cabilon. pag. 50.